



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus III. De donatis vicino, & à Creditore postea repetitis ædibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

nitatis, ac speciei, & numero tantum à meo differentem restitueret.

26 Dices: 4. Esto, dominus consentiat in eam alienationem; gratis tamen dicitur, quòd absolute consentiat in ejus valorem, ac sine restrictione ad regressum in donatarium, vel donantem, casu, quo donanti suum vinum totum periret, vel iste, non amplius solvendo esset R. ideo hæc non gratis à nobis dici, quia dominus ratione hujus donationis etiam absolute factæ non constituitur in statu deteriore, sed potius in meliore: si enim ejus modi res usu consumptibis non fuisset alienata; sed destructa casu, aut ex quodam infortunio, prout potuit absolute fieri, ipsi perisset: nunc autem licet apud donatarium pereat, compensare tamen hoc damnum domino debebit ex suo depositarius donans: quòd si ponas, etiam donanti suum rotum vinum perisse, compensatio domino à donante faciendâ erit in alio quodam æquivalenti; pecuniis &c. Quòd si demus, donantem omnino, & totaliter inhabilem præter omnem in-

tentionem ad solvendum evasisse, respondeo hunc casum esse rarissimum, & hinc æquo animo ferendum à domino rei alienatæ, quali animo eidem ferenda esset jactura suæ propriæ rei, si hæc casu quodam absque culpa depositarii destructa fuisset,

Dices quintò. Ratio naturalis dictat, quemcumque teneri ad rem formaliter, vel æquivalenter extantem suo domino restituendam, si nequeat efficaciter probare, quòd illius dominium absolute in se translatum fecerit: sed donatarius hoc nequit efficaciter probare; prob. m. sententia opposita est æquè probabilis, quàm nostra: ergo &c. R. absolutum dominium in donatarium hac ratione translatum fuisse, sufficienter probari rationibus nostræ conclusionis: tum ex eo, quòd depositum transferit in mutuum, si depositarius illo in suum commodum utatur, aut illud alienet: consequenter talis depositarius rem talem fecerit suam, & hinc in alium absolute transferre possit.



C A S U S III.

De Donatis vicino & à Creditore postea repetitis ædibus.

Commissarius bellicus ex certa urbe discedens ibidem ad pinsendum pro militibus panem ædificatam domum vicino suo donat. Cives de hac donatione certiores facti, eò quòd necdum

C 3

per-

perfolutum fuisset pretium pro calce, lignis, & cætera materia, quam commissario ad hoc ædificium vendiderant, sibi hanc domum ut propriam vendicant.

Q. 1. Utrum Commissarius has ædes ex titulo oneroso in alium transferre potuerit?

Q. 2. Utrum donatarius ædes has liberaliter donatas retinere possit, si debitum ex alia causa quàm ex comparatis illarum materialibus fuerit contractum?

Q. 3. Utrum memorati cives sibi has ædes vindicare valeant, eo quòd ad illas materialia necdum perfoluta suppeditaverint?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum quæsitum.

Utrum Commissarius ex titulo oneroso has ædes in alium potuerit transferre?

- | | |
|--|---|
| <p>1. Non potuerunt taliter alienari, si in specie alienæ fuerunt.</p> <p>2. Bene autem si creditores fuerunt verè personales & alienans ex alienatione non evasit impotens ad solvendum.</p> <p>3. Immo licet alienans fuerit impotens, modo ex tali contractu non evaserit magis impotens, nec creditoribus præjudicaverit.</p> <p>4. Hinc contra justitiam peccabit em-</p> | <p>ptor sciens ex venditione præjudicium aliquod Creditoribus eventurum.</p> <p>5. A qua etiam injustitia probabilis non excusabitur, qui damnum creditoribus eventurum non intendit.</p> <p>6. Si ædes creditoribus oppignoratæ, venditæ fuerint, valebit venditio, onere tamen in eminentem cum eisdem translato.</p> |
|--|---|

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Utrum donatarius has ædes liberaliter donatas retinere possit, si debitum ex aliis causis, quàm ex suppeditatis ad illas materialibus fuisse contractum?

- | | |
|--|--|
| <p>7. Quandoquidem donatio in fraudem creditorum fiat?</p> | <p>8. Retineri in foro conscientie à donatario ædes possunt, licet ex hoc alia</p> |
|--|--|

actu evaserit donans impotens solvendo, modo ille ignarus hujus eventus exiiterit.

9. Idem tamen in foro externo ad reddendas aedes compelli poterit.

19. Et in foro conscientie obligatus

erit, si gnarus hujus præjudicii ad donandas sibi aedes Commissarium induxerit.

11. Licet donantem non induxerit.

12. 13. 14. 15. 16. 17. Satisfit rationibus oppositæ sententiæ.

Resolvitur tertium quæsitum.

Utrum memorati cives sibi has aedes vindicare valeant? eò quòd ad illius materialia necdum persoluta suppeditaverint?

18. Quot modis hæc venditio fieri poterit, explicatur.

19. Potest alteri res vendi sine dominio in emptorem translato.

20. In certis circumstantiis materialium horum donatio fuit nulla.

21. Poterunt autem materialia vel pretium pro istis expetere credi-
tores, si ipsi Hypotheca in his ædi-

bus specialiter constituta fuerit.

22. Secus, si nullam specialem hypothecam in ædibus his, sed generalem duntaxat in bonis creditoris habuerint.

23. Multò minus si nullam omnino hypothecam in bonis istis vel aliis creditoris habuerint.

24. 25. 26. Satisfit objectionibus

§. I.

Resolvitur primum quæsitum.

Utrum Commissarius has aedes ex titulo oneroso in alium transferre potuerit?

Cum istæ aedes vel potuerint debitoribus jam fuisse obligatæ, vel non: item si fuerunt obligatæ, hæc obligatio potuerit vel adæquare totum valorem ædium, vel non: ideo utrum in omnibus istis casibus memoratæ aedes ex titulo oneroso in alios transferri potuerint, examinandum erit.

Dico 1. Si istæ aedes fuerunt in specie alienæ, seu ad creditores spectaverint, illas non potuit Commissarius sub titulo oneroso alienare, licet communis. Ratio est, quòd

tantùm res ad nos spectantes alienare possimus, non autem alienas.

Ex quo inferitur talem rem, si adhuc extet, esse domino suo restituendam etiam ab eo qui bona fide illam acceperat: si autem eandem jam absumperat, in quantum est factus ditior, reddendam esse: totum autem talis absumptæ rei valorem una cum fructibus ac interesse à malæ fidei possessore restituendum esse.

Dico 2. Si creditores fuerunt 2
merè

merè personales, insuper alienans etiam facta hac alienatione adhuc potens fuit omnibus creditoribus satisfacere, nec periculum proximum impotentiae adfuit: has aedes licet alienare potuit sub titulo oneroso, secùs autem non. Ratio primi membri est, quia verus fuit illarum dominus, & in nullius Creditoris præjudicium hæc alienatio fuit facta. Ratio posterioris est, quòd talis alienatio manifestè in præjudicium Creditorum fieret. Juxta tenorem Legis? *cum inventum ff. que in fraudem Creditorum.*

3 Dico 3. Si aedes Creditoribus oppignorata, aut hypothecata non fuerint, licet ipse etiam debitor fuerit impotens ad solvendum, ab hoc tamen per contractum onerosum potuerunt aedes in alium transferri pretio justo, casu, quo talis contractus, neque ex toto, neque ex parte alienantem magis impotentem reddiderit, neque Creditoribus præjudicavit. Ratio est: alienatio ejusmodi aedium ab impotente facta ideo tantum est illicita, quia Creditoribus præjudicat, & injuriosa est: atqui non est talis in istis circumstantiis. Probatur minor: hac ratione alienans non fit minus potens, cum ponatur recipere pretium aedibus æquivalens. Ita Vasquez *de restit. cap. 11. dub. 3. n. 54. § 62.* Molina *disp. 330. §. 1ma est.* Quia tamen aliquod præjudicium creditoribus eveniret, si minore, quàm debito, ac valori aedium correspondente pretio venderentur,

ideo tali justo minore pretio facta venditio non liceret.

Diximus autem: *si creditoribus non præjudicet.* His enim contractus onerosus præjudicare potest, quin tamen alienantem reddat magis impotentem; in quantum in hujus utilitatem, in creditorum verò præjudicium cedit, prout contingeret, si pretium loco aedium acceptum in usus & fines vanos, atque inutiles venditor expenderet: v. g. in convivia: hac enim ratione creditoribus solvendis impotens efficitur.

4 Dico 4. Si emptor sciens venditorem soluto pretio abusurum, atque ex hoc evasurum impotentem ad solvendum; hac tamen intentione, ut scilicet venditor abutens pretio fiat impotens solvendo, rem emat, emptorem peccaturum graviter contra Justitiam & teneri ad restitutionem creditoribus, quatenus illi ex eo contractu læsi fuerunt. Ita sentiunt Paludanus in *4. Disp. 15. q. 2. a. 5. ad finem.* S. Antonin. *p. 2. Cajeta. in Opuscul. de Usuris. q. 4. Navarrus cap. 17. n. 271. Corduba Lib. 1. qq. q. 39. p. 3. Laym. Lib. 3. de Just. tract. 4. cap. 17. §. 4. num. 30. Sotus Lib. 6. de Just. quest. 1. art. 4. Sylvester, Gabriel, Angelus, Molina Disp. 220. §. prima est. § 5. eo, qui mutuo. Bonacina. de Rest. disp. 5. quest. 8. puncto 2. num. 33. citans Rebillum Vasquezium: & plures alios num. 27. loci citati. Prob. qui cooperatur actioni injustæ cum damno alterius scienter, ac voluntate*

riè, atque animo alteri per hoc nocendi, peccat contra justitiam: & tenetur ad damnum alteri reparandum: atqui tali intentione emens se habet taliter. Prob. m. Cooperatur tali alienationi, quæ est injuriosa creditoribus atque damnosa, & quidem animo volente damnum creditorum: ergo

Conf. etiamsi talis emens non induxerit venditorem, & consequenter ut principium efficiens, mandans, aut consulens in hanc alienationem creditoribus damnosam non influxerit: influxit tamen emens in executionem ut causa cooperans. Ergo injuriam non tantum affectivè, sed etiam effectivè conjunctam cum damno creditoribus intulit.

Dico 5. Probabilius idem tenendum, licet emptor non positivè intenderit damnum creditorum, modo sciverit, venditorem abutendo mercis pretio impotentem ad solvendum futurum. Ita sentiunt authores citati pro conclusione priorè. Prob. licet emptio talis rei sit secundum se indifferens; prout tamen illa fit in his circumstantiis, proximè accedit ad effectum injustum, & creditoribus damnosum: ergo illi habent jus contra emptorem, ut non emat: Confir. qui volenti dissipare in damnum creditorum id, quod illis esset solvendum, cooperatur subministrando ad illam

dissipationem necessaria, censetur proximè cooperari ad ejus injustitiam, & hinc contra istam etiam peccare judicatur: ergo si etiam illa venditio in talibus circumstantiis facta proximè cooperatur damno injusto creditorum, isti cooperans emendo mercem etiam censetur damna creditorum cooperari & peccare contra justitiam.

Limitat tamen hanc obligationem restituendi, ut illa non detur, si emens habuerit gravissimam causam ejusmodi oblatam mercem emendi: rationem affert, quia hæc emptio, qua concurrat ad damnum creditorum secundum se est indifferens, atque nequaquam necessariò connexa cum damno creditorum: eo ipso enim, quòd venditori det pretium commensuratum valori comparatæ mercis, ex hac venditione per se emptor non fuit redditus impotens, sed quia illud postmodum malitiosè absumit. Quod confirmat exemplo illius, qui furi scalas applicat ad furandum; aut venenum vendit ad homicidium proximè faciendum; tales enim asserit excusatos fore à peccato, si gravissima, & proportionata causa hæc præstandi adfuerit. Dependet igitur tota hujus difficultatis resolutio ex eo, an aliqua, & quàm gravis causa excuset à peccato cooperantem proximè actioni injusta & peccaminosa alterius: etiamsi autem à peccato injustitiæ excusari in casu quodam

D

ob

ob gravissimam causam possit, qui non intendit damnum creditorum hac sua emptione: à peccato tamen injustitiæ nequaquam immunis erit, qui damnum Creditorum positivè intendit, etiam stante causa gravissima licitam per se faciente ejusmodi emptionem: utrum autem ex hac sua iniqua voluntate nocendi Creditoribus obligetur ad damnum hoc injustum eisdem reparandum, ex eo dependet, utrum hac emptione, saltem affectivè certò injusta, damnum aliquod etiam effectivè ut

particeps injuriæ Creditoribus intulerit.

Dico 6. Si aedes venditæ specialiter pro debito Creditoribus oppignoratæ fuerunt. Venditio tamen valida fuit, ita tamen, ut cum aedibus etiam onus hypothecarium transierit. Probatum. Non obstante hac speciali oppignoratione ipse tamen debitor absolutus dominus suarum aedium exitit, consequenter illas validè alienare potuit cum onere tamen satisfaciendi Creditoribus in ementem translato.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Utrum Donatarius has aedes liberaliter donatas retinere possit, si debitum ex alijs causis, quàm ex suppeducatis ad illas constituendas necessarijs materialibus fuisse contractum?

EX dictis in superiore §. constat, nullam hanc donationem fuisse, si aedes in specie alienæ fuissent. Econtrariò valida illa fuit in utroque foro, si præfata aedes nulla reali, & hypothecaria actione Creditoribus obligatæ, & debitum à Donatore non fuit contractum ob materialia ædificandæ domui impensa; nec ipse donans ex hoc ad solvendum est factus impotens. Ita teste Palao tenet communis, Cùm enim

donans fuerit dominus aedium, ideo potuit illarum dominium in alium transferre. Cùm igitur etiam voluerit, ideo re ipsa eas transtulit.

His suppositis tanquam casibus, antequam ulterius progrediamur, advertimus attendendum præ omnibus hic esse, an hæc donatio in fraudem Creditorum facta non fuerit. Habetur autem in §. in fraudem: Instit. quibus manumittere non licet §. L. 1. §. seq. per totum

totum tit. Cod. § ff. que in fraudem Creditor. toties in fraudem Creditorum aliqua alienata dici, quoties ex tali alienatione cognoscitur, vel saltem deberet cognosci, ipsum alienantem reddi impotentem, ad hoc ut Creditoribus suis satisfaciat eo quod & nulla alia bona eidem amplius suppetant, & quia spe proxima comparandi alia bona alienans careat. Hinc *Lessius lib. 2. cap. 20. dubit. 10. n. 170. cum Rebello 2. p. lib. 1. q. 7. n. 10.* affirmat, ex sua malitia non autem ex alienatione ad satisfaciendum Creditoribus impotentem redditum fuisse, qui labore ac industria suum Statum non de decentibus, satisfacere Creditoribus quidem posset, sed omittit. Uterius *Molina tract. 2. de Just. disp. 328. initio* & *Rebellus cū. q. 7. advertunt* (quod ipsum etiam ex §. in fraudem Instit. quibus ex causis manumittere licet: Colligitur) ut alienatio aliqua in fraudem Creditorum censetur facta, nequaquam requiri ut illa animo ac voluntate fraudandi Creditores fiat, cum sufficiat, quod sciatur, vel saltem debeat sciri, debitorem hac ratione solvendo impotentem futurum: prout contingeret. Si v. g. donatarius à Creditoribus moneretur, ne donata in præjudicium sui Creditorum acciperet. Ejusmodi enim Donatarius in utroque foro externo scilicet & conscientie judicaretur suscepisse talem donatio-

nem in fraudem Creditorum. Juxta *Leg. ait Prætor. §. quod ait: §. si quis ff. que in fraudem Creditorum.*

Dico 1. Licet donans ex hac alienatione fuisset redditus impotens ad satisfaciendum Creditoribus, si tamen Donatarius horum ignarus donationem acceptaverit, ab isto donatas ædes in foro conscientie retineri posse. Ita sentiunt *Adrian. Paludanus Joan. Medina, Coovarva. Molina tract. 2. disp. 328. con. 2. §. disp. 229. circa finem, Lessius lib. 6. c. 20. dub. 19. n. 167. Rebellus 2. p. de obligat. lib. 1. q. 7. sect. 2. n. 12. Joannes de Salas, Palao de Just. comment. disp. 1. pu. 14. n. 3.* Probatur conclusio, quilibet accipit validè, quod eidem alius validè donare potest. atqui donans potuit: ergo. Probatur minor. Ponitur donans adhuc habuisse dominium ædium: ergo &c.

Confirmatur omnis obligatio restituendi oritur vel ex re accepta, vel ex injusta acceptione: atqui in tali casu non oritur ex re accepta, cum hæc donanti non autem Creditoribus fuerit propria, neque ex injusta acceptione, cum accipiens ponatur fuisse inculpabiliter ignarus præjudicij Creditoribus exinde obventuri.

Dico 2. Donatarium etiam hujus præjudicij ignarum, quia sine titulo oneroso, & gratuito has ædes accepit, in foro externo ad illas Creditoribus restituendas com-

D 2 pelli

pellit posse. Fundatur hæc assertio in Lege, quod autem 6. ff. que in fraudem Creditorum. ibi, Si quid in fraudem Creditorum factum sit, si tamen is, qui cepit, ignoravit, cessare videntur verba edicti; si autem titulo lucrativo habueris, teneris rem reddere, si exstet, sin minus, quatenus ex eo ditior factus fueris, dummodo à Creditoribus intra annum, quo sciverint, rem tibi esse traditam in iudicio postulaverint.

10 Dico 3. Si Donatarius conscius fuerit, donationem in præjudicium Creditorum futuram, donantem tamen nihilominus ad illam induxerit, eundem ad restitutionem rei donatæ Creditoribus faciendam obligatum esse, etsi hæc isti non experiverint. Ita tenent Molina Lessius, Joan. de Salas. Probat. Tali inductioni Donatarius erat efficax causa ejusmodi alienationis, quam scivit Creditoribus injuriosam fore: ergo ad hanc injuriam auferendam obligatur: atqui non potest eandem aliter auferre, nisi restituendo rem acceptam: ergo &c.

Confirmatur Gregorius IX. cap. fin. de injurijs in genere decidit: Si culpa tuâ damnum est datum, vel injuria irrogata, seu alijs irrogantibus opem sortè tulisti, jure super his satisfacere te oportet.

Confirmatur 2. Innocentius XI. damnavit hæc propositionem: qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non

tenetur ad restitutionem illius damni illati.

Dico 4. Licet donans à Donatario nequaquam inductus fuerit ad donationem, si tamen Donatarius fuerit conscius, hæc fieri in præjudicium & fraudem Creditorum, Donatarius nihilominus probabilis obligatum esse ad restituendum acceptum, quatenus ad satisfaciendum Creditoribus necessarium fuerit. Hanc sententiam defendunt Cajet. tit. 2. opuscul. tract. 8. cap. 4. Adrian. de restit. in materia de usura q. ult. que incipit. hoc igitur. Gab. in 4. disp. 15. q. 11. art. 3. dub. 16. Paludanus ibidem que 2. art. 5. num. 27. Sotus lib. 6. de Justit. q. 1. art. 4. ad 3. Navarr. cap. 17. num. 216. Sylvest. verbo usura 8. num. 1. Covarru. 3. varia cap. 3. num. 6. Rebellus 2. p. de obligat. Just. l. 1. q. 7. num. 14. Joannes de Salas tract. de usuris cap. 42. num. 5. & alij.

Oppositam tamen etiam verè probabilem tuerentur Molina tract. 2. de Just. disp. 328. cond. 3. & 4. Petrus Navarr. lib. 3. cap. 41. num. 218. Lessius lib. 2. cap. 20. dub. 19. num. 168.

Probat. conclusio. Acceptus rem in talibus circumstantijs commisit injustitiam adversus Creditores: ergo tenetur hoc damnum injustè Creditoribus illarum reparare, atqui non potest reparare, nisi rem acceptam restituat, quatenus ad satisfaciendum Creditoribus est necessarium: ergo &c. Pro-

Probatur primum antecedens, ipse donans & faciens scienter hac donatione se impotentem ad satisfaciendum Creditoribus commisit injuriam, ponendo donationem injuriosam, & damnosam Creditoribus: ergo etiam acceptans.

Probatur consequentia. Acceptans in hanc injuriosam donationem physicè ac scienter influxit: ergo si donans commisit injuriam, etiam commiserat acceptans seu Donatarius. Probatur antecedens. Qualibet donatio ut sit valida, alterius, Donatarii scilicet, acceptatione indiget, ita ut hac sit essentialis pars donationis: ergo Donatarius in hanc donationem physicè ac scienter influxit: ergo scienter injuriam, & damnosam Creditoribus intulit, consequenter ad hoc reparandum est obligatus.

Confirmatur juxta priorem conclusionem inducens alterum ad donationem Creditoribus injuriosam, tenetur illis satisfacere, in quantum est necessarium: ergo etiam acceptans Donatarius. Probatur consequentia. Hic posterior etiam efficaciter influit in actionem Creditoribus damnosam, prout modo ostendimus: ergo si inducens tenetur, etiam tenebitur acceptans: ideo enim inducens tenetur, quia physicè influit. Quinimò acceptans influit efficacius ipso instigante. Probatur. Acceptatione complet alienationem intrinsecè tanquam parte il-

lius constitutivà instigans ex opposito, est causa tantum extrinseca.

Confirmatur 2. Si agrum, quem scio Petro jam esse venditum, denuò à Paulo venditore emerem, deberem Petro tantundem restituere, quanti ipsius Petri interest, ut ille ager mihi non fuerit venditus, etiamsi talis emptio fuerit valida: ergo etiam debeo satisfacere creditoribus quantum istorum interest, ades mihi non esse Donatas, si conscius Donantem fore impotentem ex Donatione, ego tamen rem Donatam accepi. Probatur consequentia. in utroque casu scienter alios impedio à consecutione sui debiti.

Dices 1. Qui mutuum ab usurario accipit, vel juramentum ab illo exigit, quem scit fore perjurum, vel carnes obligato ad jejunium subministrat etiam concurrunt ad pravam actionem alterius, quin sint hujus causa: ergo idem de nostro casu dici poterit. Respondeo distinguendo, enumerata personæ etiam sunt injuste actionis causa remota tantum, indirecta & per accidens dumtaxat. concedo. sunt causa per se directa ac immediata nego antecedens & distinguo consequens: ergo idem de nostro casu dici poterit, si acceptans sit causa etiam tantum remota concedo. Si sit causa per se actionis formaliter atque intrinsecè injuriosa tertio: negatur. Comestio carnis, per-

perjurium, non sequuntur immediate per se ac necessario ex præfatis actionibus, prout tamen ex acceptatione Donationis sequitur immediate atque essentialiter constituitur actio iniuriosa Creditoribus.

13 Dices 2. cum ædes alienatæ nullo modo fuerint, vel saltem ponantur non fuisse oppignoratæ Creditoribus, sed verè sub dominio donantis, potuit iste illas alienare: ergo Donatarius acceptando acquisivit illarum dominium, cum ad hoc nequaquam inhabilis fuerit. Respondeo concessio antecedente, distinguo consequens: ergo acquisivit dominium debile atque imperfectum. concedo. Stabile, firmum, & sine obligatione reparandi damnum creditoribus voluntariè illatum. Nego Conf.

14 Dices 3. Non obligatur ex ulla injuria creditoribus illata, ut istis satisfaciatur: ergo &c. probatur antecedens. Non ipsa acceptatio in se spectata damnificat Creditores, sed solum in quantum debitorem impotentem reddit ad satisfaciendum ergo &c. Probatur antecedens. Impotentia ista potius oritur ex defectu aliorum bonorum, quam ex ipsa donatione: ergo acceptatio in se spectata non damnificat creditores. Probatur consequentia. acceptatio non est causa, ut alienanti alia bona deficient, neque quòd istis deficientibus velit alie-

nare, sed supposita voluntate alienandi utitur proprio jure acceptandi rem sibi donatam.

Respondeo nego antecedens utrumque cum sua probatione ponimus enim, quod alienatio alienantem reddat impotentem ad satisfaciendum creditoribus, & in probatione nostræ sententiæ ostendimus hanc alienationem formaliter atque intrinsecè constitui ex acceptatione atque compleri: ergo si alienatio est iniuriosa, talis etiam erit acceptatio.

Dices 4. acceptatio jam supponit totam injustitiam positam ex parte alienantis: ergo acceptans nullam injustitiam committit. Probatur antecedens. Totam injustitiam consistit in voluntate donandi rem cum præjudicio Creditorum: ergo &c.

Respondeo transmissio antecedente, distinguo consequens. Non committit ullam injustitiam ut cooperans malitiæ alienantis, vel istam causans physicè concedo. Non committit, in quantum cooperatur damnificationi Creditorum concurrente, ad procurandam impotentiam Debitoris. Nego. Qui cooperatur fugæ equi ad Petrum spectantis, non cooperatur peccato hujus equi, qui ad peccandum est incapax: cooperatur iste tamen damno ex fuga hujus equi in Petrum resultantis. Idem contingit in nostro casu.

Dico 5. Acceptans neque jure naturali neque positivo obligatur ad

ad aliquid : ergo &c. Probatur primum membrum. Si jure naturali obligaretur, maneret obligatus etiam post elapsum annum contra *Legem penultimam Cod. que in fraudem Creditorum, & Legem sequentem item ultimam ff. eod. tit.* Probatur etiam secundum membrum. Rationes à nobis pro nostra opinione allatæ si quid probant, ostendunt obligationem naturalem. ergo &c.

Respondeo : hanc obligationem esse naturalem, & consequenter perpetuo obligare. Hinc jura civilia ad diminuendas duntaxat lites actionem rescissoriam in foro tantum externo ad unicum duntaxat annum restringere, atque limitare voluerunt.

17 Dices 6. Acceptans utitur jure suo intra justitiæ limites in quantum accipit, & suam efficit rem in se liberam, & nulli alteri obligatam, & peccato dantis in suum commodum utitur : ergo &c. Confirmatur. Licite accipitur mutuum sub usuris, quia accipiens utitur peccato dantis in suum commodum.

Respondeo, distingo antecedens. Utitur jure suo, ut tamen immediate influat, essentiali partem ponat actionis injuriöse alijs, atque hanc ultimato compleat. Concedo. Ita ut hæc non faciat. Nego. Dein distingo etiam illud ultimum. Utitur peccato dantis in suum commodum, ita ut etiam immediate in

hoc influat, & illud compleat. Concedo : alio modo, Nego.

Urgebis : acceptatio supponit pravam voluntatem intendentis se impotentem facere : ergo huic non cooperatur. Respondeo, distingo consequens, non cooperatur intentioni internæ. Concedo. Non cooperatur peccaminosæ actioni externæ, vel etiam internæ effectivè damnosæ Creditoribus. Nego. Ad confirmationem ex acceptatione mutui petitam reponimus : neque illam licitam esse, si nulla rationabilis causa petendi mutuum habeatur, eò quod sine tali desit fundamentum atque justa causa honestans permissionem peccati, quod ipse usurarius committit. Quod si autem justa causa adfuerit, petens mutuum, quod licite dari posset, utitur tantum adjuncto peccato usurarij, dando occasionem scandalo duntaxat pharisaico : in præfenti autem casu, simpliciter & absolute non potest in istis circumstantijs ob præjudicium Creditorum ejusmodi res alienari : ergo non solum ex intentione alienantis est mala, sed in se, ac absolute spectata. Ergo intra unum ac alterum dabitur disparitas.

Dices 7. Ex nostra opinione sequi, Ecclesiam, pauperes, convivias, operarios, mercatores, Creditores posteriores, valde probabiliter prævidentes, fore, ut Cajus fiat impotens expungendis debitis jam contractis, peccare con-

con-

contra iustitiam; & ad restitutionem jure naturali obligari, si Ecclesia donarium, piam fundationem, pauperes eleemosinam, myste pro missis stipendium, conviva epulas, operarij mercedem, mercatores pretium mercium, creditor posterior solutionem ante antiquiores acceptent, consequens est nimium: ergo &c. **v.** Vi nostrae conclusionis hanc obligationem in accipientibus dandam esse, quando isti sciunt donantem fore impotentem ad solvendum, ut neque in re, neque in spe habeat, ex quo creditoribus satisfiat: cum ergo istud nequaquam sequatur in omnibus allatis casibus, hinc neque adductae sequela omnes à nobis admittendae sunt, in specie autem dicimus, neque Ecclesiam, neque pauperes posse illa gratuito accipere, ex quorum donatione praevident certo impotentem donatorem evaluum; quia opera misericordiae ac gratuita pietatis postponenda sunt operibus iustitiae & alij debitis ex obligatione. Idem multo magis dicendum de convivis, nisi hi videant sumptus jam esse factos, & hinc hospitem jam impotentem effectum fuisse; vel efficiendum, licet ipsi ab illo con-

vivio abstinuerint. **3.** Quod mercatores & operarios conducenti suo labore utiles concernit; poterunt isti accepta taliter retinere; cum enim æquale pro accepto rependant debitori, hic nequaquam ex hoc evadit impotens, accedit, quodd subinde debitoribus ad conservationem vitae & sui status liceant aliqua, quæ in præjudicium Creditorum videntur cedere, in quo casu etiam alijs licebit ad tales actus concurrere, Denique etiam Creditores posteriores, si ex nulla justa causa prælationis jus habeant, utique non possunt ante Creditores anteriores si isti jus majus, ut præferantur subsequen- tibus, habeant, sibi debita exposcere.

Neque dicas, hac ratione operarijs, mercatoribus semper prius considerandum esse, an non sua actione, acceptione, contractu, per se licitis sit causa influens & complens, impotentiam contractantis: respondemus enim, raro evenire casum, ut aliquis ex quocunque etiam levis momenti contractu reddatur impotens: ergo si non antea contra alium sit magnum in hoc puncto præjudicium, sic curè poterit cum illo contrahi.

§. III.

Solutio tertij Quæsit.

Utrum memorati Cives sibi has ades vindicare valeant, eò quòd ad illas materialia necdum persoluta subministraverint?

18 **S**uppono 1. Materialia ista non mutuò tantùm data, sed verè ipsi Commissario fuisse vendita, licèt ab isto debitum pro illis pretium necdum persolutum fuerit.

19 **S**uppono 2. Hanc venditionem uno ex sequentibus duobus modis celebratam fuisse; ut scilicet venditores emptori materialia dederint, interea tamen nec pretium, nec satisfactionem ab hoc acceperint per fidejussores, neque cautionem per pignus, nec fidem de eo habuerint: vel concesserint quidem moram solvendi, dominium tamen sibi reservaverint usquequàm solutum fuerit pretium, neque pretium pro soluto habuerint.

Secundo potuerunt materialia vendidisse, horùmque dominium in Commissarium transfuisse, ita ut pretium non statim acceperint, sed solam cautionem per fidejussores, pignora, vel solam emptoris promissione contenti ejusdem fidem secuti fuerint.

Posse autem rem alteri vendi, quin illius transferatur dominium,

habetur ex *Lege procuratoris §. Si planè: versu: sed et si dedi ff. de tributaria actione Leg. quod vendidi 19. ff. de contrabenda emptione §. vendit. Inst. de verum divisione.* Ratio est, quod venditor intendat transferre dominium rei venditæ solum sub conditione sibi concessi pretij, consequenter non transtulit dominium usquequàm pretium oblatum fuerit, vel de hoc solvendo fides data, id ipsum sentiunt *Cajetan, Armilla Joan. Medina, Navarrus, Rebellus l. 2. g. 19. n. 4. Molina Disp. 338. 396. Lessius lib. 2. cap. 15. n. 7. Palao de Just. lib. 1. pu. 18. §. 14.*

Quodsi igitur omnia materialia Commissario à Civibus cum retentione dominij fuerint vendita, ædium istarum donatio saltem quoad materialia ab urbe subministrata nulla videtur esse, eò quod rem non suam nemo validè alteri donare, aut alienare possit, consequenter præfati cives vindicare sua materialia potuerunt; quia tamen Commissarius aliquas impensas in fabros murarios, lignarios & vecturas fecerat, etiam

E

ratio

ratio haberi, & compensatio aliqua per cives donatario ædium faciendâ exigî poterit.

Hæc omnia confirmari possunt ex *Lege adeo §. cum in suo ff. de acquirendâ rerum dominio*, & *Instit. de rerum divisione §. cum in suo* habetur, cum qui in suo solo ex aliena materia ædificat, dominum fieri ædificij, ubi autem ædificium fuerit dirutum materiæ dominum eam vindicare posse: ergo cum prælaudatus Commissarius in alieno, non autem in proprio solo hanc pistrinam ædificaverit, materialia non fecit sua, & consequenter à Civibus vindicari poterunt.

Cæterum videtur Commissarius etiam in hoc supposito dominium horum materialium obtinuisse per specificationem; hæc enim dominium haberi posse habetur in *§. 25. Instit. de rerum divisione* intelligitur autem per specificationem introductio novæ formæ in materiam, seu mutatio materiæ in aliquid aliud, ut quasi nova species produci dicatur. verum cum ad specificationem translative dominij requiratur ut species, quæ semel facta est, non possit reduci ad priorem materiam, ipsa verò ligna & lapides remaneant destructis ædibus, merito dubitatur, num in hoc casu ope specificationis dominium materialium à Commissario acquisitum fuerit, interea negari non poterit talem immutationem

hic intercessisse, ut in commercio humano nova res nomine substantiali elata fuerit producta.

Quid Si autem ponamus materialium dominium in ipsum Commissarium translatum fuisse, tunc.

Dico 1. Si vendentes cives hypothecam in ædibus ædificandis aut materialibus venditis expressè sibi reservaverint donec integrum pro illis pretium persolutum fuerit, tunc materialia, vel pro istis pretium à donatario repetere poterunt. Probat, in hoc casu habebant vendentes Cives non solum jus personale in emptorem Commissarium, sed etiam reale in ipsis materialibus hypothecatis, consequenter ab omnibus ad quos ista pervenerint, repetere illa possunt; cum pignus & hypotheca in hoc conveniant, quod sit res subjecta seu obligata pro debito, ut nisi impleatur inde satisfiat.

Confirmatur. Tales venditores ultra jus hypothecæ habent jus prælationis ut in re vendita præferantur omnibus alijs creditoribus anterioribus, qui generalem duntaxat hypothecam in omnibus emptoris bonis fuerint consecuti.

Probat 2. Jus hypothecarium non potuit extinguî per alienationem rei aut eorum conditio fieri deterior ex facto emptoris, *L. 1. §. 2. de separat. L. debi.*

debitorem 25. Cod. de pactis : juxta Legem 2. ff. de V. oblig.

22 Dico 2. Si venditores hypothecam in re empta specialiter non reservaverint sibi ; sed generaliter duntaxat in omnibus bonis emptoris ; ratione hujus generalis hypothecæ non potuerunt sibi vindicare donatas alteri ædes. Probatur, Stante tali hypotheca generali non habuerunt majus jus in has ædes & materialia, quàm habebant alij habentes etiam hypothecam generalem : atqui non obstant hypotheca generali aliorum Commissarius potuit hanc domum sicut alias res suas generali etiam hypothecæ subjectas juxta quotidianam praxin alienare : ergo &c. Probatur Major. Si haberent majus jus in has ædes tunc etiam ratione hujus generalis hypothecæ, præferrentur cæteris omnibus etiam generalibus hypothecarijs sed istis non præferuntur juxta *Neguzanum de pignor. part. 5. membro 2. n. 18. Berlich. Bassum Semuint. controuv. 10. n. 6. & communem aliorum in Legem. 7. Cod. qui pot.* Citata enim hæc lex nullum specialem favorem concedit illi, qui mutuum pro prædio comparando dat, nisi hoc specialiter mutuanti sit obligatum : ergo neque dabit vendenti. Probatur consequentia, mutuum dans pro prædio studet soli debitori mutuuario prodesse, vendens autem suum lucrum ex contractu spectat : ex-

go si lex priori nullum favorem concedit, neque vendenti concedet. Verba Legis ita sonant : *eum cujus pecuniâ prædium comparatum probatur, quod ei pignori specialiter obligatum convenit, omnibus anteferri juris auctoritate declaratur. Vide de hoc P. Friderich de venditione n. 327.*

Confirmatur juxta *Palauum de Justit. D. 5. pa. 18. §. 16.* hypotheca specialis à generali ab eo differt, quod specialis hypotheca non pereat, tamen si debitor rem hypothecatam in alium transferat possessorem ; secus autem generalis, cum hæc debitoris bona afficiat, non prout hæc sunt in se, sed quatenus debitoris sunt : ergo si non sunt alterius debitoris, in illis nulla dabitur hypotheca.

Dico 3. Si venditores neque hypothecam specialem neque generalem in venditis materialibus atque in emptorem quoad dominium translatis non habuerunt, non potuerunt in compensationem hujus sui debiti vindicare ædes alteri donatas. Probatur, Ædes non amplius fuerunt debitoris Commissarii, sed illarum dominium ab isto translatum fuerat in Donatarium : ergo non poterant creditores cives ex illis tanquam re aliena solutionem sui debiti facere.

Probatur 2. Ut aliquis rem certam ac determinatam sibi vindicare possit, debet habere vel illius

E 2

illius

illius dominium, vel hypothecam in illam, vel res ex alio titulo eidem esse devincta: ergo si venditores nec hypothecam nec dominium in illas ædes habuerunt, & istæ nullo titulo iisdem venditæ fuerunt, non possunt sibi illas vindicare.

Probatur 3. Equus uni quidem venditus, sed non traditus, si vendatur & actu tradatur secundo, ab hoc secundo non potest emptor primus equum repetere, quia tantum habet jus personale in venditorem, & nullum reale in equum: ergo si etiam in nostro casu venditores materialium nullum jus habent in ædes Donatas non poterunt istas repetere.

Confirmatur. Si debitor alia sua quædam bona titulo oneroso in alium transtulisset, non tamen in fraudem Creditorum, non possent ista suis dominis auferri, ut solutionem sui debiti acquirant: ergo neque hæc ædes: ex eo enim quod materialia suppeditaverint non habent ullum jus juxta dicta, cum ponantur sibi nullum jus expressè reservasse, neque ex dispositione Juris sibi aliquod competere probare possint.

Procedunt autem ista ex supposito, quod in fraudem horum Creditorum alienatio non fuerit facta. Neque donatarius hujus conscius fuerit. Hinc spectatis atque expensis omnibus circumstantijs considerandum erit,

num omnibus ad solvendum debitum medijs ita destitutus hic Commissarius fuerit, ut neque pro tunc in re, neque in spe proxima habuerit, unde hoc debitum expungeret, quod tamen valde difficile creditu in ejusmodi personis videtur esse. videntur itaque hi creditores ad talia tentanda ex eo potius permoti, quod discedens ex illa vicinia, & territorio Commissarius non sine aliqua difficultate atque incommodo conveniri posset; ut ergo hanc difficultatem & molestias effugerent solutionem ex prædictis ædibus, quam absque ullo labore statim facere poterant, accipere decreverunt at quanta cum injuria donatarij ex dictis constat, quia non licet alteri suum eripere, ut damnum, quod patior amoliar.

Ob. 1. Qui mutuum dederunt ad ædificandam aut reparandam domum, habent in ista tacitam hypothecam: ergo etiam qui materialia suppeditant. Probatur consequentia, etiam dans mutuum transfert dominium rei in mutuatarium: ergo &c. Respondet nego consequentiam. Mutuanti tacita hypotheca à legibus constituta est non autem vendentis ratio autem hoc statuendi de uno & non de altero est, quia mutuans ex re mutuo data nullum percipit commodum cum hoc totum quantum sit mutuatarij: vendens ex oppposito suum quoque


commodum intendit. Equum igitur fuit, ut leges magis prospicerent mutuanti quam vendenti.

25 Ob. 2. Nimis durum videtur creditores privati simul merce exstante apud Donatarium & simul pretio. 2. Donatarius agit de lucro cessante, vendens de danno emergente: ergo hic donatario est preferendus. Respondeo, Etsi hoc durum appareat, venditores tamen sibi imputare debent, quod fidem ementis secuti fuerint. dein possunt Commissarium convenire apud suam Judicem competentem. Ad 2. Respondeo, quod ponatur donatarius possessionem & dominium ædium donatarum jam adijisse: ergo etiam iste agit de

danno. 2. nemo debet se privare lucro in gratiam alterius.

Ob. 3. Si venditor prævidisset sibi pretium ab emptore non fore persolvendum, in istum dominium ædium non transtulisset: ergo transtulit dominium sub hac conditione: si solverit: cum igitur hæc conditio non fuerit impleta, dominium non fuit absolute translatum.

Respondeo concessio antecedente distinguo consequens: ergo sub hac conditione transtulit, si actu talem animum habuit concedo, si habuisset tantum, casu quo prævidisset periculum, actu autem non habuit. negatur. multi non darent Eleemosynam pauperi, si præviderent hunc illa ad malos fines abuturum, & tamen censentur absolute dedisse.



CASUS IV.

De Usu Depositi.

Sempronius centum Taleris in specie, quos apud se deposuerat Titius, hoc incio uritur. Item à Cajo centum ducatos in specie mutuos accipit: quia autem valor ducatorum interea auctus, Talerorum verò diminutus erat, hinc

Q. 1. Utrum Sempronius licite hoc deposito in suum commodum uti poterit?

Q. 2. Utrum satisfiat Cajo mutuatori, si eidem centum ducati in valore, non autem in specie restituantur?

Q. 3. Utrum Titio deponenti restituendum sit tantum, quantum ab eo acceptum in quantitate, vel quantum in valore?

E. 3

SYNOP.